

©

C O R P U S


I U R I S G E R M A N I C I

A N T I Q U I.

EX OPTIMIS SUBSIDIIS COLLEGIT EDIDIT ET
LECTIONUM VARIETATEM ADIECIT

F E R D. W A L T E R

IUR. DOCT. ET PROF. PUBL. ORD. IN ACADEMIA
BORUSSICA-RHENANA.



T O M . I . P A R S I .

LEGEM SALICAM, RIPUARIORUM, ALAMANNORUM,
BAIUARIORUM, BURGUNDIONUM, FRISIONUM,
ANGLIORUM ET WERINORUM, SAXONUM,
ET EDICTUM THEODERICI CONTINENS.

B E R O L I N I
I M P E N S I S G . R E I M E R I .
M D C C C X X I V .

Et si quis Adalingum occiderit, DC. solidis componat.

CCC. solidis componat, si liberum occiderit, CC. sol. componat.

III. Et de utroque si negaverit, cum XI. g) iuret, aut in campum exeat, utrum ille voluerit, ad quem causa pertinet.

IV. Qui servum occiderit, XXX. solid. componat, aut si negaverit, cum V. iuret.

INCIPIT LEX ANGLIORUM ET WERINORUM HOC EST THURINGORUM.

TIT. I. De homicidiis.

I. Si quis Adalingum occiderit, DC. solidis componat.

II. Qui liberum occiderit, CC. sol. componat.

III. Et de utroque si negaverit, cum XI. g) iuret, aut in campum exeat, utrum ille voluerit, ad quem causa pertinet.

IV. Qui servum occiderit, XXX. solid. componat, aut si negaverit, cum V. iuret.

TIT. II. De ictu laesis.

I. Qui Adalingum ictu percusserit, XXX. sol. componat, aut cum V. iuret.

II. Qui liberum, X. sol. componat, aut cum quinque iuret.

TIT. III. De vulneribus.

I. Sanguinis effusio Adalingi XXX. sol. componatur, aut cum sex hominum sacramento negetur.

II. Liberi hominis, X. sol. aut sex hominum sacramento negetur.

TIT. IV. De fractura ossium.

I. Os fractum Adalingo XC. sol. componatur, aut XII. hominum sacramento negetur.

II. Libero XXX. solidis componatur, aut sex hominum sacramento negetur.

TIT. V. De transpunctione et membris laesis.

I. Corpus transpunctum similiter.

g) Sic Herald. et Cod. Corb. Aliae Edit. cum XII.

II. Coxa vel brachium transpunctum, ut sanguinis effusio.

III. Oculus unus, vel ambo excussi Adalingo, CCC. sol. componantur, libero, C. solidis: aut si negat, XII. hominum sacramento negetur.

IV. Nasus abscissus similiter. Auris similiter. Lingua similiter.

V. Manus vel pes abscissus, similiter: aut si manca pependerit, medietas componatur.

VI. Qui Adalingo unum vel ambos testiculos excusserit, CCC. sol. componat. Si libero, C. sol. componat, vel iuret, ut superius.

VII. Si vectem similiter.

VIII. Qui pollicem absciderit, XXXIII. solid. et tremissem componat. Si indicem et impudicum similiter. Si medicum et minimum similiter.

IX. Articulatus pedis abscissus ut os fractum componatur.

X. Vultivam h) L. solid. componat, vel cum sex iuret.

XI. Qui alium percusserit, ut surdus fiat, Adalingo CCC. solid. componat. Libero C. sol. componat, vel cum XI. iuret.

HAEC IUDICIA WLEMARUS DICTAVIT.

XII. Si contra stomachum vulnus factum erit, et claudi non potuerit, XII. sol. pro ipsa apertione componat.

XIII. Si ipse stomachus perforatus fuerit, nec vulnus medicamento claudi potuerit, pro vulneris apertione totidem sol. componat, quot pro ipso vulnere composuit.

XIV. Si intestina vel botelli perforati claudi non potuerint, similiter faciat, id est, totidem solid. apertionem vulnerum componat, quod pro ipsis vulneribus composuit.

XV. Si utraque coxa ferro vel quolibet telo trajecta fuerit, VI. solid. componat.

XVI. Si folliculus testiculorum cum coxa, IX. sol. componat.

XVII. Si utraque coxa cum testiculis fuerint perforata, XV. sol. componat.

XVIII. Si quis alium in facie percusserit, ut oculos vel os torqueatur, III. solid. componat.

XIX. Si quis alium in brachio vel in crure percusserit, ut ipsa membra decrescant, et ita fuerit subtiliatum, ut duos digitos minuatur, IV. solid. componat: si unum, II. solid. si digitus dimidius, solid., si sexta pars digiti est, unum tremissem.

XX. Qui harpatorem, qui cum circulo harpare potest,

h) Herold. *Vultivam*.

in manum percusserit, componat illum i) quarta parte maiori compositione, quam alteri eiusdem conditionis homini. Aurifices similiter. Foeminas k) furesum facientes similiter.

TIT. VI. De Alodibus.

I. HEREDITATEM DEFUNCTI FILIUS, NON FILIA SUSCIPIAT. SI FILIUM NON HABUIT QUI DEFUNCTUS EST, AD FILIAM PECUNIA ET MANCIPIA, TERRA VERO AD PROXIMUM PATERNAE GENERATIONIS CONSANGUINEUM PERTINEAT.

II. Si autem nec filiam habuit, soror eius pecuniam et mancipia: terram proximus paternae generationis accipiat.

III. Si autem nec filium, nec filiam, neque sororem habuit, sed matrem tantum superstitem reliquit, quod filia vel soror debuerat, mater suscipiat, id est, pecuniam et mancipia.

IV. Quod si nec filium, nec filiam, nec sororem, aut matrem dimisit superstites, proximus qui fuerit paternae generationis, heres ex toto succedat, tam in pecunia atque mancipiis, quam in terra.

V. Ad quemcunque hereditas terrae pervenerit, ad illum vestis bellica, id est lorica, et ultio proximi, et solutio lendis, debet pertinere.

VI. Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat, filiae vero spolia colli, id est murenas, nucas, monilia, inaures, vestes, armillas, vel quidquid ornamentum proprii videbatur habuisse.

VII. Si nec filium, nec filiam habuerit, sorori pecuniam et mancipia, proximo vero paterni generis terram relinquat.

VIII. Usque ad quintam generationem paterna generatio succedat. Post quintam autem filia ex toto, sive de patris sive matris parte, in hereditatem succedat, et tunc demum hereditas ad fustum a lancea transeat.

TIT. VII. De furtis.

I. Qui gregem equarum in parco l) furatus fuerit, in triplum componat, si autem foris gregem commovit, quot equae fuerunt, tot capita in m) commotionis mulctam componat, et quot abstulit, tot in triplum componat, hoc de cervo n), hove, vacca, ove, porco, iudicatum est.

XXII. Qui scrofas sex cum verre, quod dicunt son o),

i) Herold. *illud*. k) Herold. *aurifici — foeminae*. l) Cod. Corb. et Herold. *in parrico*. m) Deest in Cod. Corb. et Herold. n) Cod. Corb. et Herold. *de servo*. o) Corb. *sonest*.

furatus est, in triplum componat, et delaturam sol. VII. et in freda totidem.

III. Qui ornamenta muliebria, quod *rhedo* ^{p)} dicunt furto abstulerit, in triplum componat, delaturam XII. sol. et in freda similiter.

IV. Homo in furto occisus, non solvatur: sed si proximus eius dixerit innocentem occisum, campo eum comprobet innocentem, vel XII. hominum sacramento, furem credi iuste occisum.

V. Qui hominem liberum infra patriam vendiderit, solvat eum quasi occisum, et in fredam solid. XII. Qui liberum extra solum vendiderit, solvat eum similiter, et in fredam sol. LX. Similiter de foemina.

VI. Qui liberum ligaverit, X. sol. componat. Qui Adalingum XXX. sol. si negat, cum XI. q) iuret, aut campo decernat.

VII. In omni re furto ablata, si is cui res componenda est, dixerit capitale peius esse, quam quod ablatum est, iuret de debito solus, peius non esse quod offert, illo quod abstulit, et ita solvat secundum legem.

TIT. VIII. De incendio.

Qui domum alterius noctu incenderit, damnum triplo sarciat, et in freda solid. LX. aut si negat, cum undecim iuret, aut campo decernat.

TIT. IX. De liberto occiso.

Servus a domino per manumissionem libertate donatus, si occisus fuerit, LXXX. sol. componat, vel quidquid ei solvi debeat, medietas compositionis liberi hominis solvatur.

TIT. X. De vi.

I. Qui liberam foeminam rapuerit, reddat eam cum sol. CC. et quidquid cum ea tulit, restituat, addens ad unamquamque rem sol. X.

II. Si libera foemina, sine voluntate patris, aut tutoris, cuilibet nupserit, perdat omnem substantiam quam habuit, vel habere debuit.

III. Qui foeminam nobilem virginem, nondum parientem occiderit, DC. solid. componat: si pariens erit, ter DC. sol. si iam parere desiit, DC. solid.

IV. Qui liberam non parientem occiderit, bis LXXX. et VI. solid. et duos tremisses componat: si pariens est, DC. solid.: si iam desiit, CC. sol. componat.

p) Corb. *rhedo*. q) Al. Editt. cum XII.

V. Si servus liberam foeminam rapuerit, dominus compositionem solvat, ac si occisa fuisset. r)

VI. Similiter de viduae raptu, vel interfectione iudicatum est.

VII. Qui alterum intra septa propria occiderit, in triplum componat, vel quidquid damni ibi commiserit, triplum emendat.

VIII. Qui nolens, sed casu quolibet, hominem vulneraverit, vel occiderit, compositionem legitimam solvat.

IX. Qui domum alterius collecta manu hostiliter circumdederit, trium primorum qui fuerint, unusquisque sol. LX. componat, et rei similiter. De ceteris, qui eos secuti sunt, solid. X. unusquisque, et in bannum Regis solidos LX. s).

TIT. XI. Si quadrupes damnum fecerit.

Si quadrupes damnum quodlibet fecerit, possessor pro qualitate damni vel compositionem solvat, vel sacramentum iuret.

TIT. XII. De minoribus causis.

Quidquid homo alteri fecerit, quod iniustum factum dicatur, X. solidis componat, aut cum quinque iuret.

TIT. XIII. De potestate testandi.

Libero homini liceat hereditatem suam cui voluerit tradere.

TIT. XIV. De veneficiis.

Si mulier maritum veneficio dicatur occidisse, vel dolo malo ad occidendum prodidisse, proximus mulieris campo eam innocentem efficiat: aut si campionem non habuerit, ipsa ad novem vomeres ignitos examinanda mittatur.

TIT. XV. De campo.

A duobus solid. usque ad maximam compositionem in furtu et vulneribus campus indicat. t).

TIT. XVI. De delictis servorum.

Omne damnum, quod servus fecerit, dominus emendat.

r) Iste paragraphus in Herold. habetur post nostrum octavum. In Cod. Corb. legitur post Tit. XV. s) Iste paragraphus in Cod. Corb. legitur post Tit. XV. t) Corb. *iudicatur*.

TIT. XVII. De animali alieno laeso. V

I. Qui quadrupedia alterius in sepem cuiuslibet seu fossam minaverit, ibique vel mortua fuerint, vel damnum aliquod pertulerint, is qui eam minavit, damnum emendet.

II. Si homo laqueum, vel pedicam, vel quodlibet machinamentum, ad capiendas feras in sylva posuerit, ibique pecus vel iumentum alterius captum, vel mortuum fuerit, qui machinamentum fecit, damnum emendet.

EXPLICIT LEX ANGLIORUM ET WERINORUM.